

IN hoc omnes penè consentiunt scriptores, Indiam totius terrarum orbis nobilissimam esse prouinciam: nec sub vno nomine maiorem comprehendi terram. nomen autem suum ab Indo fluuio trahit. quod ad eius magnitudinem, ea secundum Strabonem ac Plinium, ab Occidente, Indo fluuio: à Septentrione Tauro monte: ab Oriente, Oceano: à Meridie, Indico, Mari clauditur. Ganges fluuius qui mediam interluit, in duas eam partes diuidit, quarum vna versus Occidentem, India intra Gangem: altera verò Orientalior, India extra Gangem appellatur. In sacris Biblijs, Dominico Nigro teste, legimus, Occidentalem Indię partem, Euilat: Orientalem verò Seriam appellari. M. Paulus Venetus tamen in tres eam partes diuidere videtur, in maiorem scilicet, minorem, & mediam, quam Abastam quoque (eodem teste) vocant. Tota hæc India non ob populos tantum suos, & innumeras penè in eadem vrbes, sed ob incredibilem quoque rerum omnium prouentum (solo tamen, si Plinio credimus, metallo ac plumbo excepto) ab omnibus felicissima predicatur. Fluuios non tantum multos sed ingentes etiam habet, qui inundationibus suis terram adeo reddunt fecundam, vt nihil excogitari possit quod propinqui solis virtus non producat, imò ingenti cum scenere. Omnes totius Orbis regiones gemmarum atque aromatum prouentu longè superat, vnde magno lucro huic in reliquis Mundi partes deportantur. Plurimas ad se pertinentes insulas habet, passim in Oceano suo dispersas, tanto ambitu vt quasi integer Insularum Mundus esse videantur. Huc etiam spectare videtur insula Iaponica, quam M. Paulus Venetus Zipangrem vocat, de qua, vt nuper primum inuenta & nostris hæcenus ignota, in medium pauca hæc afferre consultum est: Magna est ac spatiosa insula, eiusdem cum Italia Poli eleuationis. Incolæ eius supra quam credi possit addicti sunt Religioni, liberalibus artibus, ac Philosophiæ: veritatis quoque indagatores astutissimi. Nihil apud eos precatone frequentius, quam nostro more in tempus vt plurimum exercent. Vnum tantum agnoscunt Principem, cuius mandatis obtemperant. Hic tamen vnum habet superiorem, quem sua lingua Voo appellant, penes hunc enim plena est potestas in causis tam Politicis quam Ecclesiasticis dijudicandis. Hic quidem Pontifici Romano, ille Imperatori Germanorum comparari posset. Huic namque vulgus etiam animarum suarum salutem credit. Vnicum saltem adorant Deum, qui triceps tamen pingitur, cuius tamen causam nullam proferre queunt. Infantes eorum baptizantur. Corpora sua non simulanter, sed veris doloribus castigant, quibus certam poenitentiam demonstrare volunt. Christianorum quoque ritu signo sanctæ Crucis se muniunt aduersus demonum insidias: ita vt Christianos in Religione ac vitæ consuetudine imitari videantur. Quamuis magnum insumere laborem cogantur Iesuitæ, vt eos penitus ad fidem Catholicam adducant. Haud procul inde sitæ sunt Moluccarum insulæ, quæ per aromatum suorum abundantiam, & aunculam Manucodiata (nostri vulgo Paradisiacam auem vocant) vbiq; terrarum iam innotuere. Sumatra etiam insula, quæ secundum quosdam Taprobana olim dicebatur, nec veteribus incognita fuit. Aliæ præterea, vt pote Maior minorque Iaua, Borneo, Timor, &c. quæ omnes præsentis tabellæ insertæ sunt. Hæc Indias ex veteribus magnopere commendauerunt Diodorus Siculus, Herodotus, Plinius, Strabo, Q. Curtius, & Arrianus in vita Alexandri Magni. Extat præterea epistola quædam Alexandri Magni ad Aristotelem de rebus Indicis. Ex recentioribus descripserunt eas Ludouicus Vartomannus, Maximilianus Transsylvanius, Ioannes Barrius in suis super Asia Decadibus. Cosmas etiam Indopleutes, qui à Petro Gilio allegatur. Consule etiam Iesuitarum epistolas, ex quibus multa de statu Iaponicæ insule scitu necessaria cognosces. Ioannes quoque Mater Iurisconsultus tres historiæ Indicæ libros conscripsit. Similiter & Castaguedo quidam natione Hispanus rerum Indicarum librum vernacula lingua conscriptum edidit.



